Pacta Regia cum Alberto Marchione Duce Prussiæ

IN NOMINE DOMINI AMEN.

Ad perpetuam rei memoriam. Cum rerum sempiternæ sunt futuræ nulla certior firmitudo excogitari potest quam ea quæ literarum monimentis prodita memoriæ posteritatis, cætera n: facta humana quæcunque memorabilia alijs modis quam literis æternitati consecrata aliquot quidem seculorum decursu durare possunt, quæ vero literarum officio memoriæ mandantur nunquam intereunt itaque vetustate fiunt angustiora. Nos itaque Sigismundus Dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lituaniæ, necnon terrarum Cracoviæ, Sandomiciæ, Syradiæ Lanciciæ, Cuiaviæ Russiæ ac omnium terrarum Prussiæ, Pommeraniæque etc. Dominus et hæres. Manifestum facimus universis. Quod cum acta essent plurima bella inter prædecessores nostros Reges et Regnum Poloniæ ac Magistros et ordinem dictum Sanctæ Mariæ Teutonicorum in Prussia, de proprietate illarum terrarum Prussiæ certantes, eaque non penitus extincta cum inter nos et illustrem Dominum Albertum Marchionem Brandeburch. et Magistrum illius ordinis recrudescent, cum magno Reip. Christianæ incommodo et detrimento. Proinde et Serenissimus summus Pontifex et Cæs: Maiestas Serenissimusque nepos noster Dominus Ludovicus Ungariæ et Boemiæ Rex. nos ad ineundas quadriennales inducias et arbitralem cognitionem subeundam hortati essent et induxissent, quæ deinum magnis impedimentis non sequuta, et tempore induciarum expirante